



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Sicut meritò Angeli cadere permissi sunt, ita & meritò hominies permitti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

stendi vlli tentationi. Quia consuetudo est altera natura...  
Quid igitur mirum est, extirpari eum, de quo nulla est spes e-  
mendationis? Omnis arbor, qua non facit fructum bonum, excide- Matth. 3: 10  
tur, & in ignem mittetur.

## C A P V T L V.

Quo modo diuina justitia exigat, ut peruicaces, in suis sor-  
dibus, perire permittantur; diuina illustratione motio-  
neq; tandem subducta?

**G**eciderunt Angeli per superbiam, & numquam surrexerunt. Itaque in Auernali rogo æternū jacebunt. Quis Deo vel ruinam, vel pœnam imputabit? Potuissent stare, cum alijs stantibus, sed lapsi sunt, quia Lucifero adhærere maluerunt. Coguntur igitur justè supplicia pati, qui liberè justitiam deseruerunt. Qaod si nemo misericordiæ tangitur erga cacodæmones, qui semel tantum ceciderunt; cur judicium Numinis in judicium & ad humanum tribunal trahere volumus, si quosdam, & verò etiam plurimos homines sicut cade-re, numquam surrecturos? Maior est fragilitas hominis? sed & maior fuit erga eum beatitudines Saluatoris; qui pro eo redimen-do, & in gratia stabiliendo, homo fieri, & dirissimè voluit cru-ciari, & in crucem tolli; eiusque pœnitentiam, tam diu, tam patienter expectare. Quis Princeps non tandem puni repeten-tiem delictum toties condonatum? Et Deus hominem, cui toties ignosuit, non tandem permitrat in sordibus suis, quas tantope-re diligit, computrescere? Ipsa longanimitas vindicis, indignationem auget delictorum. Angelos, commisso peccato, statim præcipitauit, homines plerumque differt; quos etsi subinde in ipso crimine fulminat, saepè tamen antè sustinuit, vocavit, fortiter commonefecit. Certè, si quoties homines peccant, illico eos diuina ira plecteret, jam dudum Mundum suis incolis exhau-sisset. Expectat igitur, ut pœnitentiam agant, & fugiant à facie Psal. 59. 6.  
arcu. Quis eum arguat, si tandem irascatur, postquam tam longo tempore expectauit? quis culpet, si toties se in omnia scelerum voraginem projicientes tandem sinat natare & submergi?

**Rom. 2. 5.** mergi? Segetes cùm maturæ sunt, metuntur. Sic & homines falce digni sunt, postquam sibi diu iram in die ire thefaurizaverunt. Cresceret in immensum licentia peccandi, si perduelles animaduerterent perpetuam scelerum impunitatem. Quid enim tunc non facerent, qui nunc perquam meditare peccant? Poëtam audi.

**Morat. lib. 3.****Od. 24.**

*O quisquis volet inpias  
Cades, aut rabiens tollere cinicam:  
Si queret pater urbium  
Subscribi statuis, indomitam audeat  
Refanare licentiam.*

**II.**

Quemadmodum igitur diuina justitia certam quamdam singulis regnis, prouincijs, & vrbibus constituit mensuram, certo numero, & grauitate peccatorum definitam, qua impleta, in vindictam exurgit bello, fame, peste, aliquo modo inferendam; ita & singulis hominibus terminum posuit annorum & peccatorū.

**Matth. 23. 32.** Vnde & Christus dixit: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.*

**Gen. 15. 16.** Notum est illud de Israëlitis dictum. Generatione quarta reuertentur huc (in terram Chanaan) nec dum enim completa sunt iniuriantes Amorrhaorum, scilicet ut exscindantur, tuoque semi-ni locum relinquant. Constituit eadem diuina justitia etiam primæuo Mundo mensuram hanc, qua completa, dixit ad Noë:

**Gen. 6. 13.** *Finis uniuersa carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Clamauerant ad celum libidines, amor habendi, crudelitas, idololatria, & vindictam postulauerant; quibus sceleribus multiplicatis, multiplicabatur & clamor, isq; fuit tandem diuina justitia auribus intolerabilis, nimirum quando peccata eam mensuram attigerant, ultra quam Deus non amplius sibi ea tolerare ab æterno statuit; rupit cælum, induxit diluvium; sicut & quando clamor Sodorum & Gomorrah multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis; tunc enim iterum clamor iste ad sidera penetravit, & ignem, sulphura, piceosq; nimbos deuocauit in nefandos. Quia & ultimum Mundi excidium tum demum veniet, quando implebitur numerus peccatorum, præsertim per superbiam, ambitionem, luxuriam, auaritiam, hæreses, Magias, atheismum, &*

**Numinis**